



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis, Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

que fortunæ contemptor, æstimator celestium, Deique æmulator, qui absque accessu alterius boni seipso beatus est.

80. Vis rebus omnibus dominari? contemne. Non parvus rerum usus contemptus est: quin & domini pars melior non possessio, sed usus & fructus. Uti rebus nemo melius, quàm virtuosus noverit, nemo magis de illis gaudere; nam major ejus usus, contemptus est. Cæterum quid post longum rerum usum haberi let, nisi fastidium earundem? idem habet ante felicitatem, qui contemnit.

DECAS IX.

81. Nullus magis servus, quàm improbus, nemò magis ingenuus, quàm virtuosus. Quæ enim libertas major, quàm vivere uti velis? hanc nemo tibi sustulerit, si tioso fors ista non evenit, subest dominatio cupiditatù. Lex ei interdicit, quod appetit & quod appetendù foret, vitia impediunt. Qui ex virtute vivit, ductumq; rationis sequitur, illù nihil de proposito deturbabit.

82. Libertas nemini major contigit, quàm qui velit, quod Deus vult. Hujus voluntati nihil adversatur: semper enim

exequ

exequitur suam. Ille verus sui Dominus est, qui voluntatem accommodat rebus, non res voluntati. Qui secum ipso, uti vult, disponit, hic perfectè liber est.

83. Malus tametsi imperet, servus est: bonus, etiamsi serviatur, Rex. Ille non unius hominis sed multorum vitiorum mancipium redditur: iste sui Dominus est, & Monarcha suarum cupiditatum. Quid enim est imperare, nisi pollere potestate alteri non subjecta? hanc solùm, ait Chrysippus, reperire est in sapiente.

84. Patientia efficit, ut injuriæ non sentiantur: charitas, ut non inferantur. Si præter virtutem aliud non æstimes bonum esse, nec molestia quantavis videbitur mala, nec ullum infortunium grave. Non reputes te infamari ab eo, quod alter dixerit, sed quod tu patrâris.

85. Nolim, studeas placere omnibus: age potius, quod paucorum est. Fac satis conscientiæ tuæ, & quid alii blaterent, nihil pensi habe. Laus est malis displicuisse. Interest, quis opera tua probet, quis sigillet. Præstat enim placuisse sapientium aut bonorum uni, quàm integro mundo

malorum. Sensatissimè, Philosophorum
aliquis: Non eris felix, nisi te populus iri-
rideat.

86. Assuesce semper bene agere: quia
fama magnis impensis alitur; neque ulli
morbo tam ægre medeberis, uti existima-
tioni læsæ. Sors est eam indipisci: sine in-
dustria nequit conservari.

87. Innocentissimè sese ulciscuntur pro-
bus, & improbus: ille si persistat probus
esse, iste si incipiat. Felix vindicta! quæ si-
nè partium præjudicio novit prodesse.

88. Si, quod adversum te dicitur, ve-
rum est? gaude te admoneri: si falsum?
reputa te commendari, & infensum tibi
cùm non haberet, quod objiceret, finxit
se. Hoc laudari est, non infamari. Nam
apud Sapientes laus à perverso vitupera-
tio est, injuria commendatio.

89. Cur annuis tam facilè calumniantur
te, & exples vota volentis malè? Iraſce-
ris; quia re iratum vult. Exprobrat tibi
ut te irritet, non ut corrigat. Ulciscere te
frustrando vota ipsius; id est emendando
te, non indignando, sed dissimulando,
quasi læsus non fueris. Sapiens injuriam
non accipit, sed fert.

90. Si non potes mederi rebus, medere tibi ipsi mitigando sensum aut contemptu illius, unde ortus est, aut advertentiã incommodi, quod post se trahit pœnitudo rei jam non reparandæ. Quòd si & damnum irreparabile sit, cave nè id eveniat tibi. Potest ab alio casus inferri, cui remedium non sit: ut mederi nequeas passioni tuæ, nemo nisi tu ipse causa veris.

DECAS X.

91. Vitium iracundiæ sibi ipsi adversatur: tollit enim Rationem, ubi Ratione maxime opus est. Quo enim casu requiri magis iudicium putes, quàm ubi vel amentia liberandus es, vel periculo immani? quæ autem dementia major, quàm ut ulciscaris te de alio, periclitari de vita tua? Vulnerus tuum non claudis, si aperias sæviori ictu alterius latus. Damnum, quod putas tuum, non sarcit vindicta alieno.

92. Si appetendo vindictam nihil egisti, quid superest nisi rancor, & dolor? Præbuiisti enim nova arma hosti tuo? id est: ansam se vindicandi; atque adeò idem erit supplicium, & vindicta; dùmque ultionem infers, ultionem pateris.

F3 101 bel 21909a n 93.